

Berchtold Haller¹⁾ an Vadian.*Bern. 1528. Juni 1.*

Bericht über die Streitigkeiten in Bern. Die erwartete Verteidigung aus Appenzell.

Die Verehrlichung des Franz Kolb. Gesundheitszustand. Grüsse an Bekannte.

Gratiam et pacem a domino. Literas tuas certissimis omnis humanitatis symbolis refertas et eas quidem postremas a Memmingense quodam a te commendato accepi^{a)}; quibus, quod bene se res vestre habeant, cum intellexerim, immodice congratulor. Nam etsi Sathan a nobis nonnihil videatur explosus, tale tamen virus tantumque foetorem post se reliquit, ut cerneres ipsum ferme praesentissimum. Quinque partes ex agro seditiosae erant; cum quattuor res omnes compositae; quinta pars etiam iuri stare renuit, nisi coram pagis aliquot selectioribus Helvetiorum. Interim tamen nemo armis quicquam attentat; sed quid Sathan interim moliatur, nemo non cogitat. De missa reduce clamant, sed frustra. Domi quoque accerrime divexamur pensionum ablegandarum gratia. Sunt siquidem pensiones optime de multis merite; quibus domos et aras novas struxerunt, quibus vestes sericas, census, praedia adauxerunt, quibus mensas et adornarunt et variis ferculorum deliciarum generibus oppleverunt: quomodo hi tam salutares pecunias tam facile evangelii gratia amandarent! Hic nunc labor est, hic sudamus, hic cruciamur ab una parte. Ab altera sunt, qui fidem pro Gallo praestiterunt pro innumera pecuniarum summa; reliquis desunt nescio quot stipendia. Sic tandem faex^{b)} hominum est. Minima Christi relinquitur pars, qui nihil omittunt, quo sanguinarius ille questus ad Indos usque profligetur. Atque hoc die huius rei gratia diacosii cum senatu conveniunt. Faxit deus, ut pro gloria nominis sui et commodo patriae singula agantur; nam in comitiis

Lucernanis cum Helvetii quique nostratibus respondere dicerent de pensionibus amandandis, in risum verterunt omnia. Postquam Bernates, dicunt, in fidei sanctę negotio^{c)} respuerint, audiemus eos. Scis itaque, charissime Ioachimе, necessitatem nostram; unde fratres verbum domini apud^{d)} vos ministrantes sepius adhortare, ut et ipsi sepius plebem vestratem adhortentur ad preces effundendas pro ecclesia nostra apud^{d)} deum. Ceterum^{e)} currit sermo domini et nemo est amplius, qui palam adversetur. At si postliminio per practicas nonnulli omnia reducere possent, nec impensis nec laboribus parcerent. Consistorii iudices ad instar Tigurinorum deputati sunt, item et elemosinarii. Sed tantis in dies obruitur senatus negotiis, ut nihil turbulentius unquam viderim. De apologia Abzellaniasini nihildum contigit. Utinam eam mitteret et dedolatam mox typographis commendarem!

Nova alioqui nulla sunt apud^{e)} nos, quam quod doctorem Sebastianum Zofingę præfecimus. Interim nos in linguis versamur et nunc sacra biblia quattuor linguis ordiemur. Franciscus vero Kolbius, factus novus maritus, beguttam duxit coætaneam^{f)} et honestam et de bona familia, 300 fl. divitem. Precaberis ergo et illi thorum felicem. Postremo de medicina corpori meo præstanda etsi calcaribus non egeas, tamen sic persuasi mihi de te, dum monuerim; non male consulas. Addidi zedulam, in qua tertio^{e)} nunc me pungentem morbum depinxi²⁾. Interim salutabis mihi Zilinos, Iufflinos, Reineros et præ omnibus illum sincerissimum^{g)} fratrem nostrum Cristoferum Sertorium. Salutant et vos quoque, quotquot Bernę Christo nomina^{h)} dederunt. Vale itaque, charissime Vadiane, et me tibi obnixe commendato ad aram usque utere. Bernę, prima Iunii, anno MDXXVIII.

Tuum ex animo minimum numisma^{l)}

B(erchtoldus) Hallerus.

An den ersamen, wysen, hochgelerten doctor Joachim von Watt, burgermeister zů Sant (Gallen), sinem günstigen (zů ver)erenden herren.

a) „accepi“. — b) „fex“. — c) „c“ für „t“. — d) „aput“. — e) „Cet“. — f) „e“ für „æ“. — g) „syncer“. — h) „Chr. no“ mit je zwei Abkürzungsstrichen. — i) „nummismā“.

l) Vgl. III, Brief 434. — 2) Vgl. oben S. 107.